



Ioannes ex nobili familia de Fleckenstein natus fuit. Erat in in literis optimè institutus, atq; magna prudētia & dexteritate agendi præditus. Itaq; primò abbas in Sæltz electus fuit. Cum aut̄ ibi magna gloria præcisset, atq; Hartmannus præsul Basiliensis ætate deficeret, amicorum suorum consilio huic Ioanni uiuens Episcopatum tradidit. id quod Martinus pontifex & eius loci Canonici approbarunt, anno 1423. Cū aut̄ antecessores eius inutili pompa bona Ecclesiæ Basiliensis dilapidassent, atq; oppida & arces alijs oppignorassent, ita ut annui redditus plurimùm imminuti essent, ipse abbatiam cū Episcopatu retinuit, & in utroq; loco magna laude

præfuit. In primis uerò Basiliensis reipub. opera usus, armata manu oppida et arces, quæ Theobaldus comes Nouicatri prius ui abstulerat, recuperauit, utpote Goldenfels, S. Vrsicin, Spiegelberg, Falckēberg, Blutzhausen, cum Libero monte. pari ratione Elicurtium expugnauit, & sibi subiecit. Loca quoq; ab alienata pecunia redemit, utpote Lauffen, Birseck, Isstein, Riechen, & huiusmodi, ita ut ubiq; in magna existimatione esset.